



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Acconen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ventionis commoda ministrentur, nobilitatem tuam rogamus, monemus, ac per apostolica scripta mandamus, quatenus præscripto Regi, si quando necesse habuerit, ad defensionem regni Cypri sic libenter & efficaciter, quantum salva defensione terræ sanctæ potueris, auxilium tuum impendas, quod idem Rex gratum merito habere debeat & acceptum, & tu tanquam catholicus Princeps ad ea quæ terræ Hierosolymitanæ commodum respiciunt & augmentum, videaris sollicitus & attentus. Datum ut supra.

In e. m. nobili viro Principi Antiocheno. In e. f. m. Magistro & fratribus militiæ Templi. In e. f. m. Magistro & fratribus Hospitalis Hierosol.

UNIVERSIS HABITATORIBVS
Hierosolymitanæ provincie.

L Icet quisque teneatur Domino votum reddere quod emittit, votis tamen est attendendus affectus potius quam effectus, cum ab executione voti necessitate retrahitur quod devotè disposuerat adimplere. Cum enim ad vindicandam injuriam Iesu Christi, & terræ sanctæ succursum, universos assiduis exhortationibus invitamus, & illuc accedentibus de Dei consilii misericordia omnium peccatorum suorum veniam & vitam promittamus æternam, nullatenus reputamus indignum, si habitatoribus ipsius, qui vovent sanctorum limina visitare, de benignitate sedis apostolicæ in terra ipsa, quæ peccatis exigentibus & rerum penuria premitur & assiduis indiget defensoribus, damus licentiam remanendi, ne, quod absit, dum personis terra ipsa minuitur, & expensis etiam vacuatur, contra Christianos prævaleant Philistæi, & diu detineant sanctuarium Domini, quod ceperunt. Quia igitur votum, cum requirit necessitas, potest & debet in pietatis opus aliud commutari, universitati vestræ auctoritate præsentium duximus indulgendum, ut si qui vestrum voverint sanctorum limina visitare, de auctoritate sedis apostolicæ à voti executione taliter se noverrint absolutos, ut expensas, quas facturi erant in via, de religiosorum virorum consilio pro reedificatione murorum & stipendiis militum sine diminutione qualibet largiantur, & pro labore itineris

dignum aliquid Domino recompensent. Datum ut supra.

In eundem modum universis habitatoribus Antiochen. provincie.

EPISCOPO ACCONEN.

L Icet ad ampliandum divini nominis cultum in singulis Ecclesiis te neamur pastorem sollicitudinem adhibere, illum tamen modum in his sequi nos convenit & servare, ne minoratis Ecclesiarum facultatibus & multiplicatis expensis, ministrorum in eis numerus augeatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate præsentium fortius inhibemus, ne Acconen. Ecclesia, priusquam integritati, quam ante provincie orientalis occupationem habuerat, fuerit restituta, per quemquam majori fratrum numerositate gravetur quam tempore suæ felicitatis habebat. Nulli ergo omnino &c. nostræ inhibitionis &c. Datum ut supra.

SANCIO ILLUSTR
Regi Portugalensi.

I N eminenti sedis apostolicæ specula disponente Domino constituti, sic nos convenit ad universos & singulos aciem nostræ considerationis extendere, ut propinqui & longè positi non remaneant apostolicæ benignitatis expertes, qui ab ea protegi cum devotione requirunt. Cum enim Rom. Ecclesia te quadam dilectionis prærogativa inter alios mundi Principes amplexetur, & tu & prædecessores tui ei semper fideles extiteritis & devoti, petitionibus tuis, quoties offeruntur nobis, quantum cum Deo possumus, tanto libentius favorem apostolicum impertimur, quanto & personam tuam & regnum tibi commissum, ut pote quod est Rom. Ecclesiæ censuale, synceriori caritate diligimus. Eapropter, carissime in Christo fili, tuis iustis precibus grato concurrentes assensu, personam tuam & regnum Portugalen. cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. Datum ut supra.

Epist. 440. Ne Canonico- rum numerus augeatur ultra facultates.

Epist. 447. Recipitur ipse & regnum & omnia bona sua sub protectione sedis apostolicæ. Vide supra epist. 99. & infra epist. 448. & seq.